PRAESVMPTIONEM AEQVALITATIS IN IVDICIIS DIVISORIIS ET ACTIONE NEGATORIA

AD L· VII· D· FIN· REGVND

PRAESIDE

CHRISTOPHORO LVDOVICO CRELLIO

I· V· D· IVR· NAT· ET GENT· ITEMQVE POET
PROF. PVBL· ORDIN
FACVLT. IVRID· ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

ANDREAS HARTMANNVS

PRATOVALLENSIS

VITEMBERGAE AD D· MAII A· Q· S· P· E· cIↃ IↃcc XXXV

EX OFFICINA GERDESIANA





I

OCCASIO INSTITVTI



is, haud ita pridem, ad ICTORVM in hac Academia ordinem allatae sunt lites, quae non sub alia formula, quam EX PRAESVMPTIONE AEQVALITATIS NATVRALIS, quae inter ciues, etiam ratione patrimonii et obligationum, locum habet, iudicandae uidebantur. SENATVS PRETTINENSIS, Anno cIↃ IↃcc XXXI. Mense Decembri, de IVRGIO FINALI, quo ciues quidam inter sese contendebant, consulebat. Actor, ut fit, multum sibi de MODO AGRI sui decessisse, querebatur: rem omnem perturbatam esse: uideri ADFINEM, id est, FESTO interprete, (a) reum, qui proxime ab illo AGROS possidebat, terminos mouisse: ideoque arbitros, qui de finibus regundis cognoscerent, poscebat. Multa utrinque afferebantur, quae ancipitem iudicis, inter partes, animum tenebant. Agri tandem oculis subiecti. Apparebat, haud paullo maiorem esse modum agri, quem reus possidebat. Sed tunc quidem, auctore MODESTINO l. 7. D. *Fin. reg.* contra illum, qui MAIOREM PARTEM in territorio habebat, iudicatum est:

(a) Festus, in uoce; Adfines.

cum, nisi aliud appareat, AEQVO IVRE agri CONFINES diuidi et aestimari crederentur. Iamdum res illa animum aduertit. Sed nuperrime res magis in controuersiam adduci uisa est, cum species non multum absimilis proponeretur. Disceptabant inter se rustici, quantum quisque operarum et pecuniae conferret, si quid ab uniuersitate omnium exigeretur. Rei, se, a multis abhinc annis, DIMIDIO MINVS, quam reliqui soluerent, aiebant contulisse. Actores negabant, illud IVRE factum esse: Nihil magis esse conueniens naturae, quam AEQVABILEM sumptuum et onerum DESCRIPTIONEM: Ius ἰσονομίας, teste M. TVLLIO, (a) AEQVABILEM TRIBVTIONEM, ut omnia omnibus, PARIA PARIBVS respondeant, desiderare. Dubitabatur, quae formula dari deberet actoribus, qui AIEBANT, sibi IVS ESSE, cogendi reos ad AEQVABILEM collationem. Onus enim probationis uterque declinabat. Sed, actores NEGATORIA experiri posse, placuit; cum, nisi aliud actum esset, illud haberet rationem, uti commoda et fructus ita etiam onera, inter ciues AEQVALITER communicari. Digna res uisa est, quae commentatione luculenta tractaretur. Age ergo, uideamus

II

INAEQVALITAS INTER CIVES AN CIVILI IVRE INTRODVCTA

SED NATVRALI quidem IVRE, omnes omnino homines inter se AEQVALES esse, VLPIANVS l. 32. D. de *Reg. Iur.* tradit. Neque quisquam facile dubitet, qui hominum iura et ordines et gradus, in quibus quilibet constitutus sit, ex ipsius DEI consilio, eiusque in homines amore, metiatur. Quis enim non uidet, ILLVM, qui omnes homines, quod FLORENTINVS ait, l. 3. D. *de Instit. et Iure*, cognatione quadam inter se coniunxit, omnes eadem corporis machina, eadem pedum et manuum uirtute instruxit, omnes eodem fere spiritu, eadem mente animauit, aut, si quid cuiquam ulla in parte deesse uideatur, illud aliis commoditatibus pensauit, atque

(a) Cic. L. II. de Nat. Deor. Op. T. I. p. 28

que alia in parte largiſſime reſtituit, qui omnibus eundem ſolem, eundem terrarum orbem aperuit, eandem auram omnibus, eosdem arborum fructus, eundem ſoli et agrorum uſum commodauit, omnia ad uarias utilitates comparauit, nihil ſeiunxit, neminem excluſit, omnia cum omnibus communicauit, ILLVM, inquam, EODEM omnes ſtudio complexum, amores ſuos AEQVALITER inter omnes diuiſiſſe, neminem inanem, neminem ieiunum, neminem beneficiis uacuum, neminem expertem dimiſiſſe. Igitur homines AEQVALI IVRE inter ſe utuntur

Recte enim MARCVS TVLLIVS (a) fraternam AEQVABILITATEM, concordiam, conſenſum conſpirantem et paene conflatum, in illis deſiderat, qui ſe neceſſitudine mutua, et cognatione, quam natura inter omnes conſtituit, attingunt. Recte idem alio loco (b) IVSTITIAE laudem, ait, inprimis fide et AEQVABILITATE contineri

Sed haud paullo aliter in CIVITATIBVS, quas tamen idem ille TVLLIVS (c) iuſtitiae fruendae cauſſa conſtitutas eſſe ait, iura ſingulorum uidemus aeſtimari. In illis enim cuiuis ſuus in republica locus aſſignatus, ſuus cuique gradus attributus, ſinguli fere in ſua quisque ſtatione collocati, diſcrimen aliquod inter homines, et uaria illorum genera accepta ſunt: et, teſte VLPIANO, l. 9. §. 11. D. de *Poenis*, propter hominum inaequalitatem, ne omnes EADEM poena affici poſſint, receptum eſt: quandoquidem, ſi CLAVDIVM SATVRNINVM l. 16. §. 3. D. de *Poenis*, et MACRVM l. 10. pr. eod. audiamus, ex iisdem facinoribus aliter ſerui, quam liberi, aliter decuriones, quam plebeii et humiles et ſordidae conditionis perſonae, puniuntur

Certe POMPONIVS et PROCVLVS l. 6. et l. 80. D. *pro Socio*, ne SOCIOS quidem, quamuis fratrum iure cenſeantur, praedam ſemper AEQVIS PARTIBVS diuidere debere docet, inprimis, ſi alter plus operae, induſtriae, gratiae, pecuniae contuliſſe

(a) Cic. in Orat. pro Ligar. circa fin. p. m. 812.
(b) Cic. L. II. de Orat. Oper. T. I. p. m. 250.
(c) Cic. II. de Offic. c. 12.

tulisse uideatur: Constituendos esse quosdam gradus, suum cuilibet, sed ut res tulerit, non quidem ex aequo, sed alii aliud subinde tribuendum. Qua re naturalis aequalitas in ciuitate uidetur perturbata

Illud ius inaequale uidetur SENECAE (a) stomachum mouisse, qui quid sit Eques Romanus, quaerit, aut, quid Libertinus, aut, quid seruus, quam nomina ex ambitione et INIVRIA, enata. Neque TVLLIO illa inaequalitas placuit (b) qui etiam latrones dicit iustitia exactiori negotia administrare, illumque, qui archipirata dicitur, nisi AEQVABILITER praedam dispertiat, aut interfici ait a sociis, aut certe destitui, et, facta discessione, nudum et solum in periculo relinqui

At enim uero, tantum abest, ut haec instituta ciuitatum a naturali ratione discedant, ut potius ipsius Dei consilium DISCRIMEN inter homines admittat, ingenuos et frugi, a nefariis et improbis segreget, et non patiatur, ut eodem modulo omnino omnes metiamur. Quae enim supra de ABSOLVTA illa AEQVALITATE, quam philosophi ARITHMETICAM appellant, et cuius in iustitia COMMVTATIVA habendam esse rationem dicunt, disputata sunt, ad illos pertinent, qui in eadem, in qua natura nos edidit, integritate perstiterunt, nullo SVO FACTO rationes suas perturbarunt, nihil de uiribus suis deminuerunt, nulla sui parte, nulla sua culpa debilitati sunt, nunquam penitus sublapsi, omnes boni, omnes innocentes. Inter hos enim, certum est, nihil interesse, nihil discriminis intercedere, eodem omnes loco esse, omnes iisdem commoditatibus perfrui, iisdem beneficiis ornari. Qua re ueteres optime, AMOREM ANTECEDENTEM Dei, quo omnes prouocat, et, priusquam de rebus suis ipsi constituunt, et uiam, in quam ingrediantur, eligunt, omnes homines amplectitur, AEQVALEM esse, eiusque rei fructus cum omnibus communicari, docuerunt

Sed alia ratio ineunda est, postquam homines de statione prima

(a) Sen. ep. 32.
(b) Cic. II. Off. c. 11.

prima discesserunt, atque ipsi sponte in partes diuersas abierunt. Quandoquidem enim alii studio et industria alios superant, alii in stadio decurrunt, alii desides et lenti pedem omnino proferre non audent: alii haerent in sordibus, alii labem contractam uirtute eluunt: alii propius ad finem propositum accedunt, alii longius ab illo absunt: alii officio satisfaciunt, alii illud deserunt, aut non attingunt, resque uarie, et consiliis inter se aduersis, a plurimis administratur; apparet, quod praecipiente etiam naturali ratione, et si ex amore Dei, quem CONSEQVENTEM appellant, res aestimetur, necessarii sint hominum et officiorum quidam gradus et ordines, in quibus alia aliis conueniant, et, moderante iustitia ius cuique suum inaequaliter attribuatur

In tanta igitur rerum conuersione, quae subsecuta est, inque tanta hominum et uirium dissimilitudine et discrepantia, boni uiri officio conuenit, ius cuique suum, EX SVIS VIRIBVS, et conditione reddere: ut qui multis rebus careant, illis ex sua INDIGENTIA ius quoddam tribuatur, exigendi ista a sociis, quorum illi copia abundent, sed his plura OFFICIA imponantur, quorum copiae et facultates ampliores sunt, ut ad subleuandam aliorum inopiam, et communes necessitates procurandas, suffecturae uideantur. Hoc est genus illud IVSTITIAE, cui ueteres DISTRIBVTIVAE nomen accommodandum esse censuerunt. Haec est illa ἰσονομία, et AEQVABILIS TRIBVTIO, quam in Diis immortalibus CICERO (a) laudauit, in qua omnia omnibus, PARIA PARIBVS, respondent. Haec est illa AEQVALITAS, quam GEOMETRICAM dici, a philosophis et mensoribus discimus. Haec est illa VTILITAS, ob quam VLPIANVS l. 5. §. 2. D. *de Poenis*, et CLAVDIVS SATVRNINVS, itemque MACER, quos supra excitauimus, l. 10. et 16. D. *eod.* praeceperunt, modo POENAM IVSTAM eligendam, modo TEMPERAMENTVM esse admittendum, et ob quam etiam POMPONIVS, et PROCVLVS l. 6. et 80. D. *pro Socio*, ne sociis quidem aequas semper partes tribuendas esse existimarunt

In

(a) Cic. de Nat. Deor. I. p. 281.

In qua re nemo credat, illos peccauiſſe, qui iura ciuitatibus conſtituerunt. Enimuero, cum etiam inter bonos et aequales aliquando necesſitas deſideret, ut fiant quidam inter illos gradus, ut alter alteri ſubinde cedat, ut officia inter plures diuidantur, ut res ordine adminiſtretur, ut nihil temere et inconſulto, et quaſi in turba et tumultu, facile ſuſcipiatur; certe multo magis, in tanta hominum inter ſe diuerſorum multitudine, res ipſa poſtulauit, ut de aliis aliter decerneretur. Quaerendi ſunt molles aditus, quibus facillime in cuiusque animum perueniatur: Cuiuis morbo alia ſubinde medicina adhibenda, quae morbum alium non iuuat: omnia remedia uim ſuam perdunt, niſi quae ad rationem perſonae, et loci, et temporis, et ad illa, quae circumſtant, aliquantulum accommodentur

Igitur nemo uidetur bene rempublicam ordinauiſſe, niſi qui in omnibus negotiis habuerit IVSTITIAE DISTRIBVTIVAE rationem. Mihi certe nunquam perſuaderi potuit, COMMVTATIVAM illam, quam dicunt, et συναλλακτικὴν, ſeu ABSOLVTAM, et ARITHMETICAM aequalitatem in CONTRACTIBVS deſiderari. Quis enim credat, quantum ad patrimonia attinet, uires ciuium inter ſe AEQVALES eſſe, et quemlibet alteri ad tantundem aut reddendum, aut omnino promittendum, naturali ratione obſtringi, quantum ipſi ab alio datum eſt, aut etiam promiſſum. Ipſe MARCVS TVLLIVS (a) auctor eſt, non fuiſſe in ciuitate Romana duo millia hominum, qui REM HABERENT, plerosque pauperes, proletarios, enerues, rerum omnium egentes. Imo uero, quamuis aequitatem mirifice commendet, non tamen AEQVARI bona ciuium patitur, ſed damnat perniciosam et capitalem Philippi, quam in tribunatu, ob legem agrariam habuit, orationem, quae ad AEQVATIONEM BONORVM pertinere uideretur; et negat, aequatione bonorum maiorem peſtem cogitari poſſe. (b) Itaque intelligitur, in nulla re magis ciuem ciue ſuperiorem eſſe, quam ſi patri-

(a) Cic. Off. II. 21. 22. 23. f. et 24.
(b) Cic. loc. cit.

patrimonia illorum inter ſeſe comparentur. Quae cum certa ſint et expedita, non uideo, cur NATVRALI RATIONE, in contractibus, quibus utrinque aliquid promittitur, tantundem ab altero contrahentium paupere, quantum a diuite ex aduerſa parte, exigatur, aut cur in his negotiis praeſtationes ARITHMETICE AEQVALES, ex utraque parte, et officia PRORSVS PARIA, ſi non ita conuenerit, deſiderentur. Sed de his deinceps locus erit exponendi

III

IN DVBIO AEQVALITAS PRAESVMITVR ET IPSA AEQVITAS AEQVALITATEM NOTAT

Ex his, quae adhuc diſputata ſunt, apparet, NATVRA homines AEQVALES eſſe; ſed pleroſque FACTO SVO, aut culpa, aut uirtute, uirium deminutionem paſſos, aut illarum cepiſſe incrementa: ut alter altero ſuperior ſubinde uideatur. Verum enim uero, cum illa uirium mutatio, et aequalitatis naturalis perturbatio, ab ipſis fere hominibus pendeat, adeoque FACTI ſit, quod ICti aiunt; docet natura, illam inaequalitatem non praeſumi, ſed, docente PAVLLO atque CELSO, l. 5. et l. 11. D. de *Probat.* ab allegante probandam eſſe: contra, ubi res dubia fuerit, omnes uiribus AEQVALES, omnes omnino PARES cenſeri, niſi aliter conuenerit, aut lex mutauerit naturalem hominum aequalitatem. Recte igitur MARCVS TVLLIVS (a) tres ueluti ordines facit iurium, quos ſequi in iudicando debeamus: PACTVM, quod inter aliquos conuenit, IVDICATVM, de quo iam antea ſententia alicuius conſtitutum eſt: quem in ordinem etiam LEGEM referendam eſſe intelligitur: et denique illud PAR, quod in omnes AEQVABILE eſſe uideatur. Igitur, ſi nec PACTO res definita fuerit, nec LEGE, aut IVDICATO conſtituta, AEQVALITATIS habemus inter ciues rationem. Hinc generatim VLPIANVS l. 164. §. 1. D. de V. S. in PARTITIONIBVS, inquit, niſi portio adiecta fuerit, utriſque pars

(a) Cic. de Inuent. II. p. m. 127

DIMIDIA debetur. Igitur L. FLACCVS laudatur apud CICERONEM, ob AEQVABILEM sumptuum descriptionem. (a) Hinc poenae genus uidebatur, si nationibus exteris foedus quidem concessum, sed non ut AEQVO IVRE, sed, ut in ditione populi Romani tenerentur. (b) Haec est illa AEQVITATIS ratio, cuius artem esse iurisprudentiam VLPIANVS l. 1. pr. D. de *Iust. et iure*, docet, ad quam omnia redigenda esse, PAVLLVS l. 24. §. 1. D. de *Min.* et l. 90. D. de Reg. Iur. et CAESARES l. 8. C. de *Iudic.* praeceperunt. Haec est illa HVMANITAS, qua docente IVLIANO, l. 13. pr. D. de *Lib. et posth.* subtilem regulam iuris temperamus. Haec SVMMA illa RATIO, et ipsa bona fides, fides, inquam, naturali iustitia firmata, quam PAPINIANVS l. 43. D. de *Relig.* STRICTAE rationi, et VLPIANVS l. 29. §. 4. D. *Mandati*, iuris ciuilis apicibus opponunt, et ob quam ignoscendum esse, MODESTINVS l. 13. §. 7. D. *de Excus.* existimauit. Quod argumentum MARQVARDVS FREHERVS (c) copiosius tractauit

Neque enim dubito, quin ipsa AEQVITAS, quam ICti mirifice commendant, AEQVALITATIS inprimis rationem comprehendat. Certe non facile ueteres, in definienda AEQVITATE, AEQVALITATIS mentionem omiserunt. VLPIANVS certe l. 63. §. 5. D. *pro socio*, illam sententiam habere AEQVITATEM ait, quae efficiat, ut sociorum portiones EXAEQVENTVR: Et MODESTINVS l. 20. D. de *Re iudic.* quod AEQVA LANCE in persona omnium seruetur, AEQVITATIS docet rationi conuenire. Imperator LEO, l. 17. C. de *Collat.* de studio AEQVITATIS gloriatur, quod ipsi suggesserit, ut AEQVA LANCE, PARIQVE MODO, singulis prospiciatur, et inter coheredes aequalitas seruetur, in collatione. Generaliter etiam DIOCLETIANVS, cum Collega, l. 3. C. *Commun. utr. iudic.* si quid in DIVISIONIBVS et

(a) Cic. pro L. Flacco p. m. 504
(b) Liv. L. IX. c. 20
(c) Marq. Freh. de Æquitate apud Ottonem, in Thes. T. IV p. 370

et BONAE FIDEI iudiciis, INAEQVALITER factum esse constiterit, illud in melius reformandum esse, docet, cum ex hac causa etiam maioribus, per diuisionem laesis, merito subueniatur. Igitur BONA FIDES, et aequitas, quam iuri stricto ueteres opponunt, non patitur, ut, nisi ita conuenerit, partes INAEQVALES facile constituantur: quod adduxit VLPIANVM, ut l. *6*. §. 2. D. *de iure dotium*, bono et AEQVO non credat conuenire, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire ex alterius lucro; sed parem omnium habendam esse rationem. Qua de caussa idem alio loco, l. 55. D. *Pro Socio*, AEQVVM esse ait, socium, cum quo lucrum communicatum est, damnum etiam participare. Huc etiam pertinet illud PAVLLI, qui l. 2. §. 5. D. *de Aqu. et aqu. pluu.* AEQVITATEM, ait, suggerere, ut etsi iure destituamur, uicinus aggerem, qui mihi prodesse possit, ipsi nihil nociturus sit, fieri a me patiatur: et in hac specie utili actioni, atque interdicto locum esse. Ex eodem fonte deducitur, quod, si FLORENTINO l. 3. de *Iustit.* et *iure*, credimus, hoc ius omnibus hominibus inter se COMMVNE est, ut uim et iniuriam propulsare liceat, et, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse uideatur, et nefas sit, hominem insidiari: cum omnes fere AEQVO iure, et cognatione quadam, inter sese coniungantur

Vt rem paucis comprehendam, quod alii AEQVVM dicunt, alii, usu promiscuo, AEQVALE et AEQVABILE subinde appellarunt: Certe aequitatem omnes ad aequalitatem partium inprimis retulerunt. LIVIVS foedus non AEQVO iure factum esse ait, in quo inaequales conditiones foederis admitterentur. (a) Hinc AEQVO et pari iure uiuunt illi, teste TVLLIO (b) inter quos omnia communicantur. Praetor etiam dicitur, dum AEQVITATI locum facit, AEQVABILITATE decernendi, offensionem ciuium uitare: (c) et fratres, qui nihil inter se

(a) Liu. IX. 20
(b) Cic. l. Off. 34
(c) Cic. pro Muraena p. 483

ſe diſcriminis admittunt, AEQVALITATE fraterna uidentur inter ſe coniuncti : (a) ut dubitari non poſſit, AEQVITATIS laudem inprimis ex AEQVABILI PARTITIONE aeſtimari

IIII

PRAESVMPTIO AEQVALITATIS IN COMMVNI DIVIDVNDO

SATIS, credo, comprobatum eſt, in re dubia, AEQVAS partes conſtitui inter illos, qui de DIVISIONIBVS inprimis in iudicio experiuntur. Eamus per exempla, et primo quidem, quam rationem Praetor in COMMVNI DIVIDVNDO ſecutus ſit, excutiamus. Sed in hoc iudicio, quod inter condominos exercetur, tanto minus dubitationi locus relinquitur, quanto magis illud, docente PAVLLO, l. 14. §. 1. D. *Commun. diu.* AEQVITATE et BONA FIDE regitur, quae, ſecundum DIOCLETIANVM l. 3. C. *Commun. utr. iud.* non admittit, ut quidquam INAEQVALITER conſtituatur. Ideo et GAIVS et VLPIANVS, l. 2. §. 1. et l. 3. §. 1. D. *Commun. diuid.* niſi partes inter ſe pepigerint, PAREM CAVSSAM omnium uideri, reſponderunt

Illud a GAIO et PAVLLO, l. 13. et 29. D. de *Iudic.* obſeruatum eſt, ut quilibet ACTOR eſſe poſſit, et, ſi alter occupaſſet, is, qui prior prouocauerit, aut, in re dubia, quem ſors elegerit, actoris partibus defungi iubeatur: quia AEQVO IVRE diuiſionem uidentur poſtulare. Sed, ut illi, qui in communionem inciderunt, cogitent, nihil cuiquam temere permitti, quod ipſe ſibi fieri ab altero noluerit; DIOCLETIANVS, l. 4. C. f. *Commun. diu.* DOLI et CVLPAE VTRINQVE uult haberi rationem: cum BONAE FIDEI iudicia poſtulent, ut in omnibus AEQVALITAS ſeruetur

Res uideri poſſet expedita, niſi SABINVS et PAPINIANVS l. 28. D. *Commun. diu.* turbas darent, et interdum alterum alteri praeferrent. Aiunt enim, in re PARI, POTIOREM eſſe cauſſam prohibentis: ideoque neminem quidquam in re communi

(a) Cic. pro Ligar. p. 812

muni recte facere, socio inuito; et, si ille prohibere praetermiserit, per communi diuidundo actionem, damnum socio sarciri. Idem et GAIO l. 8. de *Seru. P. V.* et PAVLLO l. 26. D. *eod.* placuit; ut ne tignum quidem immittere liceat in parietem communem, aut, si immissum fuerit, de damno cognoscatur. Sed tantum abest, ut hoc aequalitati uideatur aduersari, ut potius ipsum IVS AEQVALITATIS pariat IVS PROHIBENDI, ne quis aliquid sibi in re communi licere existimet, quod alteri non sit permissum: aut, ne quis solus de rebus illis constituat, quas, fas erat, communi consensu a sociis administrari

Igitur, dum re communi VTIMVR, par utriusque caussa est: imo, si quid noui fiat, praeter ordinem, et consilium commune, POTIOR plerumque caussa prohibentis. Inprimis uero, cum post immensas contentiones, quod PAVLLVS l. 26. D. de S. P. V. ait, ad DIVISIONEM prouocatur, PARTES AEQVAS fieri debere, uisum est, ut solet in iudiciis, quae BONA FIDE inprimis continentur. M. TVLLIVS certe, quod supra obseruatum est, (a) latrones etiam, ait, archipiratam damnare, et occidere, aut deserere, nisi AEQVABILITER praedam dispertiat: ut intelligatur, ne illos quidem, qui maleficio et scelere pascantur, sine ulla particula iustitiae uiuere, aut commune negotium temere administrare. DIOCLETIANVS uero l. 3. C. *Comm. utr. Iud.* etiam maiores uiginti quinque annis, in integrum restituit, si quid, extra iudicium, INAEQVALITER fuerit diuisum. Exercuit interpretes, quid INAEQVALITER DIVISVM uideatur; ne ob minima subinde locus sit rescissioni. Forte res egeret disputatione, nisi ANTONINVS l. 1. C. *Comm. utr. iud.* praeciperet, diuisionem praediorum VICEM EMPTIONIS obtinere. Sed DIOCLETIANVS l. 2. C. *de Resc. Vend.* illud demum pretium in EMPTIONIBVS iusto minus esse ait, si ne DIMIDIA quidem pars ueri pretii soluatur. Igitur non dubito, diuisionem illam demum, in qua quis ultra dimidium laedatur, inaequalem uideri, et locum facere rescissioni.

B 3 Placet

(a) Cic. II. Off. 11

Placet igitur, AEQVALES partes fieri in COMMVNI DIVIDVNDO: modo ne ipsa aequalitas interdum damnum afferat utrisque, qui inter se experiuntur. Illam maculam gloriae populi Romani Q. FABIVS LABEO (a) inussit, qui, cum a Rege Antiocho, ex foedere icto, DIMIDIAM partem nauium accipere deberet, omnes MEDIAS secuit, ELVSORIA AEQVALITATE, ut tota classe Antiochum priuaret. Quam contumeliam ut euitaret Praetor, iudicem, docente VLPIANO, l. 21. D. *Commun. diu.* in diuisione praediorum, id, quod OMNIBVS utilissimum est, seu, quod malint litigantes, sequi iubet: ALEXANDER etiam l. 3. C. *Comm. diu.* si res commode diuidi non possit, facta aestimatione IVSTA, ADIVDICATIONEM admittit: ut pretium inter socios compensetur, isque, qui partem maioris pretii acceperit, reliquis pecunia condemnetur, aut, si malint socii, extraneo etiam subinde facultas fiat licitandi

Nescio, an illud adiiciendum sit, quod PAVLLVS l. 29. D. de A. R. D. monuit, insulam in flumine enatam, et inter illos, qui secundum ripam praedia habent, non pro INDIVISO communem fieri, sed regionibus diuisis, ut, quantum ante cuiusque ripam est, tantum, ueluti linea in directum per insulam traducta, quisque eorum certis regionibus adquirat

Illud meretur obseruari, quod VLPIANVS l. 7. §. 12. D. *Solut. Matrim.* et CALLISTRATVS l. 3. §. 10. D. de *Iure Fisci*, docuerunt, etiam THESAVRVM forte fortuna in loco alieno inuentum, inter inuentorem et soli dominum AEQVALITER communicari. Reduxit legem desuetudine oblitteratam LEO Imperator, Nou. Leon. LI. seque in illa caussa legis ueteris AEQVITATEM secutum esse, gloriatur. At enim uero, aut omnia me fallunt, aut illa aequitas discedit a naturali ratione. Quid enim iuris esse potest inuentori, qui rem non suam, cuius dominus ignoratur, in solo alieno, forte fortuna deprehendit: aut quomodo ad dominum soli pertinet, quod

(a) Val. Max. VII. 3. §. 4

quod apud ipsum inuentum est, quod ipse nunquam emit, nunquam adquisiuit, et, quod fere a primo domino in medio relictum: Solus certe CASVS, nisi aliud quid rationis subsit, quod in plerisque ACCESSIONVM speciebus obseruamus, dominium tribuere omnino non debebat. Rectius, ut in bonis uacantibus obseruatur, thesaurus ad communia onera sustinenda, reipublicae poterat addici, aut inter indigentiores, si res tulerit, subinde distribui, aut aequaliter diuidi inter membra eiusdem ordinis, et ciuitatis. Sed ita quidem in communi diuidundo ius redditur

V

AEQVALITAS INTER SOCIOS

TRACTATVM est de communione, in quam incidimus subinde, etiam inuiti: et uenit in mentem, nec illam praetermittere, quam uoluntate nostra eligimus, et quam SOCIETATEM appellamus. Non omnia enarrare uacat. Illud attinet monere, societatem IVS quodammodo FRATERNITATIS continere. Hoc VLPIANVS docet, l. 63. pr. D. *Pro socio*. Sed, cum fratres, secundum M. TVLLIVM (a) AEQVABILI inprimis IVRE inter se utantur; VLPIANO l. 29. pr. D. *Pro socio*, placuit, ut, si PARTES non adiectae sint, AEQVAE inter illos esse uideantur: nulla autem sit societas, ut alter lucrum totum absorbeat, alter, sine spe commodi, et lucri, damnum sentiat duntaxat, l. 29. §. 2. D. *Pro socio*. Et quamuis, quod POMPONIVS et PROCVLVS aiunt, l. 6. et l. 80. D. *Pro socio*, POSSIT esse conueniens uiri boni arbitrio, ut, propter collationem inaequalem, non utique ex AEQVIS PARTIBVS socii esse censeamur; tamen illud ex solis facultatibus non aestimatur. Magis est, ut quamuis NON AEQVIS facultatibus fuerimus, tamen AEQVO IVRE uideamur in societatem coiuisse. Plerumque enim, si VLPIANVM l. 5. §. 1. D. *Pro socio*, audias, PAVPERIOR creditur opera supplere, quantum ei deest per patrimonii pusilli comparationem. Imo uero, teste eodem VLPIANO

(a) Cic. Orat. pro Lig. p. 812

ANO l. 29. §. I. D. *Pro socio*, plerumque TANTI est industria socii, ut PLVS societati conferat, quam pecunia: ut, si solus nauiget, periculo solus subeat, solus etiam peregrinetur. Quae lex optimi exempli est, et illis consolationem afferre debet, quos fortunae iniquitas depressit, et multum infra illos diuites, plerumque stipites et truncos, uidetur collocasse. Debebunt enim animo accendi, et uirtute eluctari, ut potiore loco habeantur. Certe cum tanti sit opera, industria, et gratia, qua plerumque pauperes ualere PROCVLVS l. 80. D. *Pro socio*, existimat; non poterit de collatione conqueri diues ille socius, qui plus pecuniarum attulit ad communia negotia societatis

Eo et illud referendum est, quod PAVLLVS l. 65. §. 9. D. *Pro socio*,. praecipit; Morte unius dissolui societatem, quamuis plures socii supersint, qui in eandem coiuerint societatem. Enimuero uel VNIVS OPERA tanti referre potest, ut reliquorum, si uno illo careant, non intersit, manere in societate. Nimirum, cum AEQVALES uideantur, singulorum caussa coaluisse in unius societatis corpus, existimantur; et quilibet illorum tanti fieri censetur, ut uel propter VNIVS iacturam, nisi aliter conuenerit, compages illa dissoluatur

Illud praetermitti non potest, culpam, quae a socio exigitur, non ad exactissimam diligentiam dirigendam esse: seddocente GAIO, l. 72. D. *Pro socio*, sufficere, si quis talem diligentiam communibus rebus adhibeat, qualem SVIS adhibere solet: quia, qui parum diligentem sibi socium adiunxit, de se queri debet: aut potius, quia EX SOCIO cognoscitur, et iudicatur, quem ex suis negotiis perspectum non habemus. Certe, qui se seiungere a negligente socio potuit, probasse mores socii uidetur. Nimirum, cum ipsi inter se AEQVALES sint, inique socius socii desidiam accusat, quem ipsum esse desidem et negligentem, ex socii coniunctione intelligimus. Hactenus igitur et socii inter sese comparantur

VI

VI

AEQVALITAS COHEREDVM

ALIQVANDO igitur iudicio, et conſenſu, ſocios eligimus. Sed plerumque in illos INCIDIMVS aliorum uoluntate, inprimis TESTATORVM, qui plures ad eandem rem, uel bonorum uniuerſitatem, uocauerunt. Prius de uniuerſitate cognoſcamus

CELSVS quidem atque VLPIANVS, l. 2. pr. et l. 9. §. 12. D. de *Hered. Inſtit.* non dubitant, HEREDES plures inſtitutos AEQVIS PARTIBVS ſuccedere, ſi teſtator partes non adſcripſit: quamuis promiſerit ſe adſcripturum. Heredes enim iuris ſucceſſores ſunt: et ſi PLVRES inſtituantur, DIVIDI inter illos ius oportet: quod ſi non fiat, omnes AEQVALITER heredes uidebuntur. PAVLLVS l. 12. D. de *Hered. Inſtit.* illud ulterius porrigit, et, quamuis ex diſparibus partibus heredes inſtituti eſſent, tamen, ſi, ante peractum teſtamentum, teſtator adiecerit, ut AEQVE heredes eſſent, illa uerba non ſolum ad IVRIS, ſed PARTIVM etiam AEQVALITATEM refert: ut aequis partibus heredes ſcripti uideantur. Imo uero CELSVS, CARTILIVS et PROCVLVS l. 24. et l. 69. D. de *Hered. Inſtit.* auctores ſunt, ſi ALTERNATIM, uter eorum uiuet, aut uter eorum uolet, heredes ſcripti ſint, et uterque uiuat, et uelit adquirere hereditatem, VTRVMQVE heredum numero habendum; cum AEQVALITER teſtator heredes amauiſſe cenſeatur. Id tamen receptum eſt, ut ſi alios ſeparatim, alios coniunctim una oratione, heredes ſcripſerit, hi in ſemiſſem, aut in partem illam, quae ſuperſit duntaxat, ſed inter illos tamen, qui ita coniuncti ſint, AEQVO IVRE diuidendam, admittantur: Quod VLPIANVS l. 17. §. 4. D. de *Hered. Inſtit.* obſeruauit. Ex eadem cauſſa, teſtator non facile diſceſſiſſe a priori uoluntate, qua aequis partibus heredes ſcripſit, iudicatur. PAPINIANVS l. 77. §. 21. D. *de Leg. 2.* tractat eiusmodi ſpeciem, qua pater filiam, coheredibus filiis, in quibusdam rebus praetuliſſe uidebatur. Enimuero pluribus filiis heredibus inſtitutis, moriens, CLAVEM et ANNVLVM, cuſtodiae cauſſa, maiori natu

 filiae

filiae tradiderat, et libertum, qui praesens erat, eidem filiae res, quas sub cura sua habuit, assignare iusserat: Quaerebatur, an filia res illas, quas a patre acceperat, et quae arcis, quarum claues traditae fuerant, continebantur, PRAECIPVAS haberet: Sed praeualuit PRAESVMPTIO AEQVALITATIS: commune enim filiorum negotium gestum esse, neque, ob eam rem, apud arbitrum diuisionis, praecipuam caussam filiae futuram, placuit: cum illa sententia esset humanior, quae inter coheredes, inprimis liberos, discrimen non admittat, Multum in utramque partem GVILIELMVS FORNERIVS in libris *Selectionum* disputauit (a).

Illud singulare est, quod testator, qui seruo, quem liberum putabat, substitutum dederat, utrumque in dimidia parte heredem instituisse censeatur, l.40. de *Hered. Instit*

Igitur AEQVIS partibus testator heredes uidebitur instituisse. Non alia ratio ineunda est, si de ONERIBVS hereditariis suscipiendis disceptetur. Enimuero, si pluribus inter se coniunctis conditio adiecta, ut, si decem dederint, heredes essent, ipsa enumeratione personarum summam conditionis DIVISAM esse, IAVOLENVS l. 56. D. *de Condit. et Demonstr.* respondit. Quod SCAEVOLA l. 42. D. de Leg. 3. uerum putat, quamuis uni coheredum nominatim aliquid iniunctum, quod ceteroquin ad officium omnium heredum pertineret. Ait enim, pro hereditariis portionibus etiam coheredes sumptus esse collaturos. Vt ecce, si uxori, quam in duodecima parte heredem scripserat, corpus suum sepeliendum tradi uoluerit, et monumentum exstrui, usque ad aureos quadringentos, quae summa excederet hereditariam uxoris portionem: uidebuntur OMNES aequaliter teneri ad sumptuum collationem, ut monumentum exstruatur

Quae in uniuersitate bonorum placuerunt, fere etiam recepta sunt in LEGATIS diuidendis. Certe si duo PARTIRI inter se legatum iussi sunt, portione non adiecta, utrique PARS DIMIDIA debetur. Ita VLPIANVS l. 164. §. 1. D. de V.S. censuit; et MVRETVS commentatione luculenta, comprobauit.

(a) Forn. L. I. Select. c. 3. in Thes. Otton. T. II. p. 8.

uit. (a) Non operae pretium est, recoquere, quod centum alii de legatariorum CONIVNCTIONIBVS apposuerunt. Pauca refert indicari: inprimis, quod et POSTHVMOS testator, quos nunquam uidit, qui de ipso mereri nunquam potuerunt, credatur AEQVALITER amare. Si enim tibi et posthumo legauit, uno nato, docente GAIO l. 7. pr. D. de *Reb. Dub.* tibi dimidia debetur: sed, natis postea duobus, partem tertiam habebis, tribus natis, cum et tergemini nascantur, quarta ad te perueniet: ut posthumi singuli tecum aequis partibus uocati ad legatum uideantur. Adeo PRAESVMPTIO AMORIS, in posthumos AEQVALIS, VICIT iuris ciuilis regulam, quae una oratione comprehensos pro una persona accipit, et omnes ita coniunctos in partem unam duntaxat admittit

Non longe ab hac specie remota est illa, de qua MODESTINVS atque PAVLLVS l. 19. et 26. D. de *Vsu et Vsufr. leg.* responderunt. Si enim alii FVNDVM, non detracto VSVFRVCTV, alii VSVMFRVCTVM fundi testator legauerit, usus fructus inter eos COMMVNICABITVR: cum utrique de usufructu testator aequaliter prospexisse uideatur: ne fere inutilis sit alteri proprietas, si ille uiuus omni parte ususfructus, adeoque optima particula dominii, careret. Idem fere in aliis oneribus obtinet, quae adiecta sunt legatis, inprimis si coheres legatum praecipere iussus sit, sub conditione, si heredibus aliquid exsoluat. Videtur enim ex illa summa, quae heredibus exsoluenda est, pars hereditaria ad ipsum etiam, qui legatum sub hoc onere praecipit, spectare. Enimuero PAVLLVS ait, si fundum heredi LEGAVERIT testator, illa lege, ut heredibus decem daret, deducere heredem ex illa summa partem hereditariam, et reliquam coheredibus, pro eorum portione, soluere: cum neminem ex coheredibus, adeoque nec illum, qui legatum praecipit, testator exclusisse censeatur, l. 44. §. 10. D. de *Condit. et demonst.* Ita quidem ueteres et COHEREDES, et LEGATARIOS, ad eandem rem uocatos, nisi aliud appareat, inter se AEQVALES, et pari beneficio ornatos, crediderunt

(a) Ant. Muret. Obs. Iur. c. 13. in Thes. Otton. T. IV. p. 141

VII

RATIO AEQVALITATIS IN IVDICIO FAMILIAE HERCISCVNDAE

Sed aeqvalitatis, quam inter coheredes obtinere diximus, inprimis iudex in ivdicio divisionis habebit rationem. Gordianvs l. 9. C. *Fam. Herc.* inter bonae fidei iudicia, quae inaequalitatem non admittunt, illud inter coheredes iurgium recepit. Placuit enim papiniano, l. 57. D. *Fam. Herc.* propter pietatis officium, inter fratres maxime, qui aeqvo ivre contendant, magis esse ivrgivm, quam litem: ut controuersiae arbitri sententia, aut mutuo consensu, dirimantur. Philippvs certe l. 11. C. *Fam. Herc.* inter filios et filias, nullo discrimine admisso, parentum intestatorum bona, pro uirilibus portionibus, aeqvo ivre diuidi, rescripsit, quod etiam ante ipsum obtinuit. Constantinvs uero, l. 26. C. *Fam. Herc.* longius processit, et non solum sexvs, sed etiam gradvvm ordinem neglexit, et omnes heredes svos, ex quolibet uenientes gradu, imo et emancipatos, subinde pares esse uoluit, omnesque paterno, quamuis nudo, atque non solenni de herciscunda familia iudicio, obtemperare iussit. Imo generatim coheredes, si dolo malo fecerint, ut plvs ad eos perueniat, pavllvs ait, illos familiae herciscundae iudicio teneri, l. 44. §. 2. D. *Fam. Herc.* vlpianvs enim l. 16. §. 4. et 5. D. eod. bonae fidei docet conuenire, ut dolus et culpa in hoc iudicio aeqvaliter praestentur: Ideoque coheredem, sumptus, quos communis hereditatis gratia fecerit, cum usuris ex die morae consequi, l. 18. §. 3. D. *eod.* cum et ipse fructus communicare debeat, et indignum sit, reliquos locupletiores fieri cum damno coheredis. Praeterea diocletianvs l. 3. C. *Commun. utr. iud.* si quid inaeqvaliter, etiam in familiae diuisione factum sit, corrigi et rescindi iubet. Sed uidetur obloqui papinianvs, qui „l. 57. D. h. t. ait, „fratres arbitro accepto, communem he„reditatem consensu diuidentes, pietatis officio defungi: „Sed divisionem non rescindi; quamuis arbiter, iur-

„gio

„gio perempto, ſententiam non dixerit; niſi auxilium aeta„tis intercedat.„ Quibus uerbis ICtus, ſi pleroſque audias, uidetur, diuiſionis non permittere RESCISSIONEM, niſi auxilio aetatis: ne quid pietatis inter fratres officium perturbet, quo defungi uidentur, dum hereditatem, citra ſtrepitum fori, conſenſu diuiſerunt. At enim uero ipſa ICti uerba, et ſeries orationis docent, hoc ei in mentem non ueniſſe. Illud tractat, utrum, arbitro inter fratres accepto, non exſpectata eius ſententia, CONSENSV liceat diuidere hereditatem. Res habebat dubitationem, cum, docente GAIO, l. 25. pr. D. *Locati*, qui, ARBITRVM uel extra iudicium acceperunt, in hanc conditionem conſenſiſſe exiſtimentur, ut ſi ille ſententiam non dixerit, diſcedatur a negotio ſuſcepto, et nihil inter partes actum cenſeatur, uel ſi in iudicio datus fuerit, ob litis conteſtationem, et iudicis auctoritatem, non temere negligi arbiter, et contemni poſſe, uideatur. Itaque credi poterat, non poſſe liberos conſenſu hereditatem diuidere, ſi ſemel arbitrum receperint. Sed PAPINIANO placuit, perempto iurgio, non oportere diuiſionem ex hac cauſſa reuocari, quaſi ſententia arbitri exſpectari debuiſſet: maxime, cum fratres pietatis officio defuncti uideantur, quod controuerſiam conſenſu diſtraxerunt. Negat igitur, hoc obtentu reſcindi facile diuiſionem. De reliquis reſciſſionis cauſſis, et de inaequalitate, de qua DIOCLETIANVS tractat, ipſum ne cogitaſſe quidem, affirmauerim. Certe non metuo, ut quisquam ſibi perſuaderi patiatur, PAPINIANVM a DIOCLETIANO de reſciſſione diuiſionis, propter INAEQVALITATEM, diſſenſiſſe: cum, ſi inter quosquam alios, maxime inter fratres, AEQVALITATIS ratio habenda uideatur

Igitur, niſi aliud actum ſit, AEQVALES iter ſe cenſentur coheredes. Ex quo et illud pendet, quod GAIVS l. 5. D. h. t. praecipit, ſi aequis partibus heredes ſint, neque inter ipſos conuenerit, a quo tabulae, et cautiones hereditariae cuſtodiantur, SORTIRI eos debere: quo fere modo inter aequales, controuerſiae facillime expediuntur: Ceterum, ſi

quis tabulas custodiendas receperit, GAIVS interponi cautiones iubet, ut, cum res exegerit, etiam coheredibus tabulae authenticae, quae AEQVO IVRE ad omnes pertinent, exhibeantur

VIII

AEQVALITAS IN COLLATIONE

Dvm hereditas diuiditur, attinet etiam de COLLATIONE obiter monere. Collationis necessitatem LEO l. 17. C. de *Collat.* omnibus descendentibus, omni sexus et aetatis et graduum, omni suorum et emancipatorum discrimine remoto, imposuit; ut AEQVITATIS studio, AEQVA LANCE, PARIQVE modo, omnibus prospiciatur. Igitur placuit, et dotem et donationem propter nuptias CONFERRI. Olim quidem, pater, si facto testamento decessisset, non iniuncta liberis collatione, illam remisisse censebatur. Sed, ne quid inaequaliter inter liberos constituatur, cum tumultus mortis interdum patri recordationem et memoriam beneficiorum, quae in singulos contulit, adimat atque perturbet, etiam illos, qui EX TESTAMENTO parentibus succedunt, bona uoluit conferre. Atuero plerumque illud solet accidere, quod maxime cauemus: et, dum rationes diligenter ordinantur, ne quid INIQVI admittatur inter fratres, ipsum AEQVALITATIS studium uidetur INIQVITATIS aliquid afferre. Fac enim, AD DIGNITATES aliquid aut datum a parente, aut promissum. Certe iniquissime agetur cum filio, qui, quod dignitatis nomine datum fuerit, conferre in commune cogetur. Enimuero, si incommoda cum dignitate, quam ex patris uoluntate susceperat, coniuncta solus in posterum sentiet, sumptibus, quos dignitas postulat, exhauriet patrimonium, et uel cum dedecore, uel cum magno rei familiaris detrimento debebit in luce & republica uersari; cum contra reliqui, qui haerent in obscuro, nummos comparcant, et conditionem atque humilem locum, in quo constituti sunt, paruo tueantur, adeoque, illo tabescente et ad egestatem perducto, ipsi crescant diuitiis, et in tenui sorte et otio, splendorem et industriam fratris superent, et uincant. Igitur VLPIANO l. I.

§. 16.

§.16. D. de *Collat.* placuit, fratrem, quod dignitatis nomine a patre datum est, uel promissum, non cogendum in commune conferre, sed hoc, propter ONERA dignitatis, PRAECIPVVM haberi oportere: imo, si illud, quod ad tuendam dignitatem promissum sit, adhuc debeatur, hoc ita interpretandum esse, ut ne solus ille oneretur, qui dignitatem meruit; sed commune sit debitum omnium heredum. Vides aliquando discedi ab arithmetica aequalitate, ipsius studio aequalitatis

Ceterum si nihil aliud appareat, AEQVALI IVRE fratres censebuntur. Quod cum cogitaret SCAEVOLA, remisit aliquando filiae collationem, ne inaequaliter bona inter liberos diuiderentur. Si enim pater moriens codicillis praedia sua omnia et totum patrimonium diuisit, ita, ut longe AMPLIVS filio, quam filiae relinqueret, collationem dotis cessare, arbitratur. l. 39. §. 1. D. *Fam. Herc.* Sed quibusdam quidem in mentem uenit, LEONEM l. 17. C. de *Collat.* et IVSTINIANVM Nou. 18. c. 6. correxisse SCAEVOLAE sententiam, dum dotem omnimodo conferri uoluerunt. Enimuero ipsi Imperatores constituerunt, patris inprimis iudicium in collationibus sequendum esse. Sed SCAEVOLA de interpretatione iudicii paterni disputat, et rectius, ait, dici, EX VOLVNTATE DEFVNCTI collationem dotis cessare, si pater nihil reliquit indiuisum, sed multo plus filio, quam filiae, quae antea dotem acceperat, attribuit: cum AEQVO IVRE illis prospicere uoluisse uideatur. Quare etiam BERGERO (a) placuit, in hac specie collationem dotis HODIE cessare. Cetera attingere non lubet; De his enim copiose alii (b) exposuerunt

VIIII

AEQVALITAS IN IVDICIO FINIVM REGVNDORVM

Restat ex DVPLICIBVS iudiciis, quae IVLIANVS l. 10. D. *Fin. reg.* commemorat, IVRGIVM FINALE, seu de FINIBVS REGVNDIS. Hoc quidem, si HERMOGENIANVM l. 5. D. de *Iustit. et Iure* audiamus, ex iure GENTIVM descendit

(a) de Berg. Oec. Iur. II. IV. 51. n. 5

(b) Menoch. de Praesumpt. III. L. 79. n. 75. seqq. Gail. 2. Obs. 116

ſcendit. Ex illo enim iure introducta bella, diſcretae gentes, regna condita, dominia diſtincta, AGRIS TERMINI POSITI, et aedificia ſunt collocata. Certe neceſſitas exegit, ut diſſenſionis uitandae cauſſa, inter aequales, termini et fines conſtituerentur. Odio igitur altercationis inter ADFINES, id eſt, inter illos, qui agros in confinio poſſident, quos, propter conſuetudinem uitae, et poſſeſſionum coniunctionem, amicitia et fide et bona gratia inter ſeſe uti, conueniebat, uiſum eſt, ſi qua inter illos controuerſia oriatur, EX AEQVO et BONO fines eſſe dirimendos. VLPIANVS enim l. 8. §. 1. D. *Fin. reg.* ad officium iudicis, de finibus cognoſcentis, pertinere ait, menſores mittere, et per eos dirimere ipſam finium quaeſtionem, VT AEQVVM ESSE VIDEATVR:, loco, ſi res exigat, oculis ſubiecto. Ex AEQVITATE igitur de finibus regundis ſtatuetur. Quae res efficit, ut iudex etiam ADIVDICATIONE et condemnatione controuerſiam ſubinde finiat, amouendae ueteris obſcuritatis cauſſa. Illud VLPIANVS, et GAIVS l. 2. §. 1. et l. 3. D. h. t. praeceperunt. Et quia utriusque litigantium intereſt, obſcuros fines declarari; PAVLLO placet, etiamſi menſor ab altero ſolo conductus ſit, tamen etiam eum, qui non conduxit, in partem mercedis condemnandum, l. 4. §. 1. D. *Fin. reg.* cum, qui aequo iure inter ſe utuntur, etiam onerum aequalem partem ferre teneantur. Sed in controuerſia finium prima inſpectio, quomodo conuenerit inter ipſas partes. PAPINIANVS enim l. 11. D. *Fin. reg.* non ſemper uetuſta monumenta ſequitur, ſi uarietate ſucceſſionum, et arbitrio poſſeſſorum, fines, additis uel detractis agris, permutatos eſſe, comprobetur. Solent enim uenditores, in alienatione agrorum, fines mutare, atque demonſtrare: l. 48. D. *de Act. Empt. Vend.* aut teſtatores etiam, qui partem agrorum legato transferri ab herede uoluerunt, fines conſtituere, quod POMPONIVS tradit l. 24 §. 3. D. *de Leg.* 1. Illam enim deſtinationem domini ſubinde LEGEM FVNDI l. 40. §. 1. D. *Cont. Empt.* legem uenditionis, l. 60. et 68. D. *eod.* modum fundi, l. 7. §. 1. D. *de Per. et Comm. Rei Vend.* ſolebant appellare; quia illud pro lege partes tenet, quod

quod confenfu ab ipfis eft probatum, l. 48. D. *de Pact.* Luculenter PAVLLVS l. 12. D. *Fin. reg.* eos terminos, quantum ad dominii quaeftionem pertinet, obferuandos effe, ait, QVOS DEMONSTRAVIT is, qui utriusque praedii dominus fuit, cum alterum eorum uenderet

Primum igitur ex TRADITIONIS LEGE controuerfia dirimitur, fi inter illos fit iurgium, qui inter fefe de certis finibus, et agri modo, conuenerunt. Quod fi nihil actum fuerit, ad aequitatem arbiter recurret: fed non, ut perfonarum, fed, ut FVNDORVM rationem habeat: quia fines non perfonis, fed FVNDO potius adiudicantur. Ita PAVLLO placet l. 4. §. 5. D. *Fin. reg.* Ipfi autem fundi inter fe AEQVALES effe iudicantur. MODESTINVS enim, quem fupra adduximus l. 7. D. *Fin. reg.* de MODO agrorum arbitros dari docet, et eum, qui MAIOREM locum in TERRITORIO habeat, ceteris, qui MINOREM locum poffident, INTEGRVM locum affignare compelli: Atque ita faepius refcriptum effe. Ne quem uox TERRITORII offendat, POMPONIVS l. 239. §. 8. D. de V. S. TERRITORIVM interpretatur VNIVERSITATEM agrorum, intra fines cuiusque ciuitatis

Itaque, qui in uniuerfitate agrorum ad eandem ciuitatem pertinentium MAIOREM LOCVM poffidet, ceteris locum integrum affignare compellitur. Nihil, hac MODESTINI fententia, aequitati conuenientius. Eft enim probabile ad fidem, magiftratus, aut ciues, et colonos nouos, qui ad idem territorium uenerunt, inter fe primo AEQVALITER agros diuififfe: Certe non fuiffe pafsuros, ut uni cuidam ex uniuerfitate MAIOR LOCVS foli affignaretur, ceteri MINOREM poffiderent. Igitur cum mutatio FACTI fit; haec profecto, quod fupra obferuatum eft, non PRAESVMITVR, nifi ab allegantibus probetur. Neque quisquam obiiciat, DELICTA etiam, et MOTI TERMINI CRIMEN NON PRAESVMI: Sed, quemcunque, quod poffidet, IVRE SVO uideri poffidere; quod VLPIANVS docet, l. 51. pr. D. *Pro Socio.* Enimuero, debes cogitare, quod etiam fine delicto in-

 ter-

terdum, si VLPIANO fides est, l. 8. pr. D. *Fin. reg.* irruptione fluminis, et inundatione, fines agrorum confundantur, ideoque quibusdam occasio usurpandi loca, in quibus ius non habent, opportunitate casus, et temporis, praestetur. Vt taceam, delicta etiam praesumi, si luculentis indiciis se prodant. Ita certe, in illa specie, quam sub initium proposui, ICTORVM in hac Academia ORDINI uisum est: inprimis, cum testes etiam, et prior uenditor, fuisse agros inter se AEQVALITER diuisos, affirmarent. Iuuat, ipsa uerba sententiae adiicere:

Daraus so viel zu befinden, würde Klägers Principalin, daß der streitige Rein, nebst 2. Ellen weniger $\frac{1}{8}$. von Beklagtens Felde zu ihrem Acker-Stücke gehöre, vermittelst Eydes erhalten, demnach in Supplementum schweren, immassen vor allen Dingen zu beschehen, so ist Beklagter derselbigen ermeldten Rein, und 2. Ellen, weniger $\frac{1}{8}$. Feldes abzutreten, so wohl die bißher davon erhobenen Nuzungen, zuerstatten, schuldig, gestalt auch beyde Theile ihre Felder durch Gräntz-Steine, gewöhnlicher maassen, zu unterscheiden verbunden, Im übrigen werden die specificirten Gerichts-Expensen, von denenjenigen, welchen sie angeschrieben, billig eingebracht, V. R. W.

Rat. decid.

Alldieweil bey der Besichtigung fol. 2. *b.* Beklagtens Acker-Stücke 2. Ellen, weniger $\frac{1}{2}$. Viertel, breiter, als der Klägerin Felder befunden worden, hingegen aus der von Klägern producirten Zeugen fol. 171. *b.* ad art. probat. 4. sq. ingleichen ad art. 23. fol. 184. it. ad interrog. speciale 16. fol. 187. *b.* wie nicht weniger fol. 193. seq. ad art. 5. seq. so wohl von Beklagtens eigenen Zeugen fol. 204. ad interrog. special. 1. 2. und ad art. reprobat. 8. gethanen eydlichen Aussage, so viel erhellet, daß, wenn auch unter denen Mühl-Stücken eine

Hufe

Hufe mehr Acker habe, als die andere, dieselbigen dennoch in denen Schlägen einander **gleich** seyn sollen, und solches in dasiger Gegend also gehalten worden, immassen auch Klägers dritter Zeuge fol. 194. *b.* ad art. 15. und fol. 196. *b.* ad art. 25. solches von Klägers und Beklagtens Stücken bekräfftiget, und daß er ehedem, als er auff denen letztern geackert, sich nach seinem Acker jederzeit gerichtet, und beyde unter einander eine **Gleichheit** beobachtet, auch an Klägers Felde damahln nichts gemangelt habe, behauptet, folglich Kläger semiplenam probationem vor sich hat, hiernechst die gemeinen Rechte, **vor denjenigen, der weniger als der Nachbar besitzet,** praesumiren,

L. 7. D. Fin. regund.

Diese praesumption aber dadurch, daß Klägers Vorfahren etwas Rasen, zu Verreinung und Unterscheidung beyderseits Felder, liegen lassen, mithin dadurch die Gräntzen unter ihnen feste gestellet worden, nicht elidiret wird, in Betrachtung, daß Klägers Zeugen fol. 211. *b.* ad interrog. spec. 1. daß dergleichen anscheinende Reine, mit dem Haupte des Pfluges, weit in des Nachbars Acker eingedränget, und fortgetrieben werden können, ausgesaget, im übrigen, das von dem ehemahligen Besitzer derer streitigen Felder, Hanß Löfflern, ertheilte, und fol. 272. befindliche Attestat, in welchem er, daß Beklagtens sämmtliche, sonderlich aber das neben Klägers Principalin Feldern gelegene halbe Hufen-Stücke, nicht ein Haar breiter seyn sollen und müssen, als die übrigen, bezeuget, nicht gäntzlich ausser Augen zu setzen, gestalt denn die Gräntzen, wenn darüber Streit entstehet, am füglichsten durch den vormahligen Besitzer angegeben und ausgemachet werden können,

L. 12. D. et L. 1. C. Fin. reg.

und ohngeachtet Kläger ermeldtes Attestat bey dem Beweiß nicht induciret, sondern dasselbige erstlich nachhero, fol. 273. von Löfflern, vermittelst Eydes, bestärcket worden, dennoch die

vor Klägern ohnedieß streitende und Beklagtem entgegen stehende Vermuthung, dadurch unterstützet, und vermehret wird,

So ist Klägers Principalin das Suppletorium zuerkannt, und wenn solches würcklich geleistet wird, Beklagter auff die maasse, als in Unserm Urthel enthalten, billig condemniret worden

X

SORTITIO INTER AEQVALES

In iudiciis, quae adhuc tractata sunt, SORTE interdum controuersias dirimi, supra fuit obseruatum. Operae pretium uidetur, de SORTITIONIBVS generatim aliquid monere. Nimirum ineptum et a recto consilio alienum est, SORTI et CASVI rem decidendam committere, quae DEBEAT et POSSIT RATIONE definiri. Enimuero, hoc est, se ipsum et diuinos fines prodere, si quis negotium, de quo ex diuina uoluntate constituendum sit, ex fortuna et casu uelit aestimare. Superstitioni illorum hoc debetur, qui in sortibus semper diuini aliquid inesse, adeoque, si sortiti essent, non casu, sed diuino iudicio, controuersias dirimi, arbitrabantur. Sed nemo facile, qui sapiat, his nugis aures commodabit. Igitur nunquam SORTITIONI in litibus iudicandis locus est, nisi, cum id agitur, ut res quomodocunque finiatur, et cum non refert, quis sit exitus iudicii futurus. Illud inter AEQVALES inprimis obtinet. Horum enim alter alteri plerumque cedere detrectat. Itaque, si quid ab omnibus exigitur, aut praestandum est, quod non, nisi ab uno, aut paucis, suscipi et praestari possit, SORTE controuersia deciditur; quia non interest, quis illorum sorte eligatur, cum OMNES obligentur, atque inter illos non facile discrimen admittatur. Res comprobabitur exemplis. Inter illos, qui AEQVIS partibus coheredes sunt, SORTE deciditur, apud quem tabulae authenticae, et cautiones hereditariae, et communia instrumenta, deponantur. Hoc enim VLPIANVS, atque GAIVS com-

commodissimum uideri responderunt, l. 4. §. 3. et l. 5. D. *Fam. Herc.* Idem, si ambo coheredes ad iudicium prouocent, placuit l. 14. D. *de Iudic.* ut, quis actor esse debeat, iudice fortuna, decidatur. IVSTINIANVS etiam, si OPTIO legata sit, et inter collegatarios non conueniat, quis illorum optet, SORTE inter illos unum eligi uoluit, qui optionis officio, communi nomine, defungatur, l. 3. pr. C. *Comm. de Legat.* VLPIANVS etiam alio loco, seruos, ait, inter se SORTIRI, uter ipsorum ad libertatem perueniat: Si enim quis plures seruos rogatus sit manumittere, sed fideicommissum ad omnium pretia non sufficiat, non quidem omnes, sed illos tamen, quorum pretium, cum fideicommisso comparaitum, illud patiatur, liberos futuros: et quidem merita cuiusque aestimanda, ut dignissimus illorum perueniat ad libertatem: aut, si paria haec fuerint, SORTITIONE statuendum, uter potius manumittendus esse uideatur: ante omnia uero scripturae ordinem sequendum, l. 24. §. 17. D. de *Fideic. Libert.* Illud durius, etiam MILITES interdum, uter illorum poenam subire debeat, SORTIRI. Sed societas sceleris, qua omnes poenam meriti uidentur, efficit, ut ille, quem sors tetigerit, conqueri non possit. Multa PETRVS PANTOIA DE AIALA (a) conquisiuit, quae exscribere non uacat

XI

AEQVALITAS IN DIVISIONE SERVITVTVM

Sed redeo e diuerticulo in uiam. Fere enim praetermiseram monere, ut corpora et quantitates, ita etiam IVRA atque SERVITVTES COMMVNES, diuidi solere. Quamuis uero constet inter omnes, seruitutes, in quantum fundi libertatem restringunt odiosas esse, atque strictam duntaxat [illegible] tamen inter illos, ad quos ea-

dem seruitus pertinet, aequitatis ratio praeualuit, ut socii AEQVALITER concurrant in usu seruitutis. Hoc LABEO l. 31. D. de *Vsu et usufr. leg.* et VLPIANVS l. 7. §. 10. D. *Comm. diu.* in diuidendo usufructu inprimis tractauerunt. Vsusfructus enim, si duobus legatus fuerit, uel regionibus inter illos diuidetur, uel tertiae personae locabitur, ut hi pensiones, sine ulla controuersia, percipiant, uel per tempora subinde, id est, mutua uice, certo tempore, cautionibus interpositis, utentur et fruentur. Eundem fere in modum IVLIANVS l. 5. pr. et §. 1. D. de *Aqu. quotid.* AQVAM non solum mensuris, sed etiam temporibus diuisit, si eadem aqua duobus debeatur: et, ut ne studium aequalitatis subtilitate iuris ciuilis euertatur, placuit, illos, qui ius aquae habent certis temporibus, inter se permutare posse tempora, et, quamuis neuter suo tempore, sed tempore, quod socio assignatum esset, aqua usus esset, neutrum tamen ius aquae amisisse

Si iter pluribus debetur, placuit VLPIANO, l. 4. §. 3. D. *si seru. uind.* ius seruitutis esse indiuisum, adeoque et per unum retineri, et defendi posse, cum et bona fides inter socios id ferat, ut alter alterius meliorem conditionem faciat: Ideoque et quemlibet illorum in solidum de itinere experiri posse, et alteri alterius uictoriam prodesse: sed, ne quis tamen plus petat, quam aequitas postulat, aestimationem ad illud reuocari, ait ICtus, quod eius intersit, qui experietur. Adeo seruitutes, quae NATVRA sunt indiuiduae, AESTIMATIONE diuisionem uidentur recepisse

XII

ONERVM PVBLICORVM AEQVABILIS DESCRIPTIO
ET
ACTIO NEGATORIA
EX PRAESVMPTIONE AEQVALITATIS

Sed non solum seruitutes, inter illos, quibus hae debentur, sed onera etiam publica, inter hos, qui illa ferre debent,

debent, diuiduntur. FLACCVM CICERO (a) inprimis commendabat, ob AEQVABILEM ſumptuum DESCRIPTIONEM. In republica certe Romana de nulla re ſtudioſius Imperatores proſpexerunt, quam ut aequaliter onera per ciues diuidantur. Cum plerumque ignorentur ciuium facultates et copiae, HONORIVS et THEODOSIVS, l. 2. C. *de Immun. nem. conced.* pro iugerum numero onera poſſeſſoribus impoſuerunt. Certe AEQVATIONIS ſtudio GRATIANVS cum COLLEGIS l. 1. C. *eod.* IMMVNITATVM ſpecialium gratiam damnauit, et ex AEQVO omnes uoluit neceſſitatem functionis tributariae ſubire. VLPIANVS etiam l. 1. §. 1. et 2. D. de *Iure Immun.* ſi quae immunitas cuiquam data ſit, illam ad heredes non tranſire, imo, ſi generi et poſteris conceſſa ſit, ad eos, qui ex foeminis nati ſint, illam non pertinere, docet: ut intelligatur, odioſa fuiſſe priuilegia, quae cum reliquorum iniuria coniuncta uideantur, l. 4. C. de *Emancip. liber.* Nihil fere addi poteſt illis, quae GVILIELMVS FORNERIVS (b) de hoc argumento obſeruauit

Sed, ut ſupra diximus, nuperrime dubitatum eſt, qua actione utendum eſſet, contra illos, qui, immunitatis aliquo obtentu, onera publica ſubterfugiunt, et reliquos onerant temeraria tergiuerſatione. Inprimis de actione NEGATORIA diſceptatum eſt. Enimuero, ut de actione negatoria breuiter exponam, non multum obluctarer magnis uiris, contra quos LVDOVICVS VITALIS (c) aliquando ſurrexit, qui inter confeſſoriam et negatoriam, ſolum formularum diſcrimen: AIO MIHI IVS eſſe: et: AIO, TIBI IVS NON ESSE: intercedere exiſtimarunt. Mirifice enim lege 6. pr. et lege 11. D. *ſi ſeru. uind.* diſcrimen formulae commendatur: ut fere actio NEGATORIA generaliter ex IVRE PROHIBENDI, quod uel ex libertatis praeſumptio-

ne, uel ex ſeruitute competere poteſt, enaſci uideatur. Sed VLPIANVS me in contrariam partem mouet, qui l. 2. pr. D. *ſi ſeru. uind.* confeſſoriam ait, ei dandam eſſe, qui ſeruitutem ſibi competere contendit, NEGATORIAM DOMINO, qui NEGAT. Qua re nihil poteſt eſſe luculentius. Accedit, quod idem VLPIANVS l. 8. pr. D. *ſi ſeru. uind.* NEGATORIAM actionem CONTRARIAM, ſeu, quod Graeci Interpretes aiunt, ἀντιθετικὴν ἀρνήσεως, qua negamus alteri ius ſeruitutis, et contra illum agimus, qui ſeruitutem ſibi poſtulat, appellat. Igitur ex PRAESVMPTIONE LIBERTATIS actio negatoria illi datur, qui negat alteri ius eſſe ſeruitutis. Sed quae ex LIBERTATE datur, illam, ne dubites, etiam ex AEQVALITATIS naturalis PRAESVMPTIONE domino concedi; quandoquidem VLPIANVS l. 32. D. de *Reg. Iur.* ipſa libertatis iura exinde deducit, quod natura omnes AEQVALES eſſe uideamur: Vt dubitari non poſſit, uti libertatem rerum atque perſonarum, ita AEQVALITATEM etiam naturaliter PRAESVMI

Noſtro quidem iure expeditum eſt, NEGATORIAE actionis formulam generatim omnibus accommodari, qui ex PRAESVMPTIONE IVRIS agunt, contra illum, qui ius ſingulare ſibi competere contendit. Quae cum ita ſint, recte ruſticorum uniuerſitas, contra duos reos, qui ſe oneribus publicis et aequabili collationi ſubtrahebant, ſeque a multis annis dimidio minus, quam reliquos, contuliſſe iactitabant, actione negatoria ex praeſumptione AEQVALITATIS NATVRALIS experta eſt. Sed rei quidem ſubtiliter excipiebant, actores, qui ſe onera illa, et tributorum collationem, debere faterentur, ex libertate agere, adeoque actione NEGATORIA uti non poſſe; cum nemo ſit liber, qui ſeruiat, et nemini negatoria competat, qui fateatur, ſe debere ſeruitutem. Enimuero his reſpondendum erat ex VLPIANO l. 4. §. 7. D. *ſi ſeru. uind.* quod licet meae aedes ALII ſeruiant, tamen ſufficiat ad NEGATORIAM, illas ei, cum quo agitur, non ſeruire: hinc etiam uniuerſitati, quae alii tributa debeat, negatoriam competere, aduerſus ſocios, qui illud onus totum in actores

res

res deuoluere, seque publicae necessitati subtrahere uolebant: cum illis non competeret ius aliquod immunitatis, aut ius cogendi reliqua membra ciuitatis, ut partem onerum, quae omnibus incumbebant, susciperent. Fortior soli enim uidebatur aequalitatis, quam natura tribuit, praesumptio, quam illa, quae ex possessione aliqua immunitatis dicitur enasci. Hoc adduxit ICtos LIPSIENSES, ut post Litis Contestationem, non actoribus actionis, sed reis iniungerent IMMVNITATIS, quam allegauerant, PROBATIONEM. Cum his etiam ICti VITEMBERGENSES, qui de illa lite postea, Leuteratione interposita, iudicabant, quod ad ius attinet, consentiebant; quamuis ipsi reos, quia praescriptione ius immunitatis adepti erant, absoluerent ab onere probationis. Res clarior erit, si ipsa RATIONVM uerba adscribamus:

Ob wohl, bekanten Rechten nach, die praesumptio libertatis et aequalitatis naturalis stärcker, als diejenige, so aus einer erlangten Posseß entstehet,

arg. L. 6. §. 1. D. si seru. uind
et L. 9. C. de seruitut

Demnach, daß denen Beklagten der Beweiß der vorgeschützten immunitaet, nach der im lezten Urthel gegebenen Erklährung, aufzuerlegen, es das Ansehen gewinnet, ꝛc.

D. a. d. die von Beklagten über 30. 40. und mehr Jahre continuirte possessio uel quasi der immunitaet von der Halbschein derer libellirten Dienste und onerum, aus denen

XIII

AEQVALITAS IN CONTRACTIBVS BILATERALIBVS ET ALIIS NEGOTIIS

Res finem non inueniret, si per omnes species caussarum aequalitatis studium probare susciperem. Iuuabit tamen pauca, quae in mentem ueniunt, digito, quasi in transcursu, indicare. Inter illos etiam, qui in TVRPI caussa sunt, ANTONINVS l. 2. C. de *Condict. ob turp. causs.* ius aliquod aequalitatis constituit, et in pari caussa possessoris conditionem meliorem esse uoluit; cum inter aequales, qui prior est tempore, praeferendus uideatur. Illud meretur obseruari, etiam in STRICTI IVRIS negotiis, duos correos promittendi ex AEQVO obligari, et, diuisionis beneficio, ius aequalitatis inter illos conseruari. Auth. HOC ITA etc. C. *de Duob. Reis*

Inter CONIVGES, quamuis uxorem natura subiiciat marito, tamen quaedam iura communicata sunt. Certe IVS COMPETENTIAE quod dicunt, propter mutui amoris, et gratiae AEQVALITATEM, utrique coniugi conceditur. MODESTINVS enim, l. 20. D. *de Re iudic.* non solum maritum, si ab uxore conueniatur, condemnari ait, IN QVANTVM FACERE POSSIT, ex D. PII Constitutione; sed AEQVITATIS, putat, rationem suggerere, ut idem AEQVA LANCE in uxoris persona obseruetur

In transactionibus placuit, si minor aduersus illa, de quibus transactum est, aetatis auxilio, restitutionem in integrum impetrauerit, ne alterum quidem, ex eo, quod conuenerit, teneri l. 2. C. *si aduersus transact* (a) sed utrumque AEQVALITER obligatione solui, si negotium ab altero illorum retractetur

In

(a) Fornerius Select. III. 5. in Thes. Otton. T. II. p. 87.

In CONTRACTIBVS, in quibus uterque aliquid promittit, nemo dubitat, auctore DIOCLETIANO l. 2. C. de Resc. uend. AEQVALES praestationes ab utraque parte exigi, et ob laesionem illius, qui dimidio minus consecutus est, rescissioni locum dari. Hoc enim, in diuisionibus inprimis, etiam ante DIOCLETIANVM, iam tum temporibus PAPINIANI, imo uero ante PAPINIANVM, ob bonam fidem, qua haec iudicia reguntur, obtinuisse, supra fuit obseruatum. Sed, uidetur quidem illa aequalitas habere aliquid iniquitatis; cum ciuium patrimonia et uires, ex quibus naturali ratiône officia et obligationes aestimantur, eodem modulo metiri non possimus, durumque sit, tantundem a paupere exigi, quantum ab altero divite, qui cum illo negotium contrahit, praestetur. Haec est illa aequitas, quam HORATIVS (a) in moriendi necessitate accusauit:

Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, et instanti senectae
Afferet, indomitaeque morti.

Non, si tricenis, quotquot eant dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonem, Tityonque tristi

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere uescimur,
Enauiganda: siue REGES,
Siue INOPES erimus COLONI.

PLINIVS (a) certe, sublato discrimine personarum et conditionis, qua quisque utitur, nihil ipsa AEQVALITATE, putat, esse INAEQVALIVS. Sed frustra accusant DIOCLETIANVM, qui his criminationibus utuntur. VLPIANVS enim l. 8. D. de LL. et CELSVS l. 5. D. *eod.* docent, iura non in singulas personas, sed generaliter constitui, et ad illa dirigi, quae plerumque et frequenter eueniunt. Sed, non indiget probatione, plerosque in republica pauperes, paucos diuites haberi: Certe raro ciuem, si diuitias aestimes, dimidia facultatum parte, altero ciue superiorem esse. Quapropter recte constitutum est, ciues aequo iure etiam in contractibus censeri. Satis enim iustitiae distributiuae uidetur habuisse rationem, qui illam AEQVALITATEM constituit, quae PLERORVMQVE ciuium conditioni et uiribus sit accommodata: omnia turbantur atque permiscentur, si iudici potestas fiat, singularum personarum diuitias, et uires aestimandi, aut, propter paucos quosdam diuites, a regula iuris ciuilis discedendi. Ex quo apparet, merito in contractibus, in quibus de pretio IVSTO, id est, mercibus AEQVALI, paciscimur, praestationes utrinque aequales a contrahentibus desiderari: cum iniquum sit, ciuem PAVPEREM, quales sunt plerique, cum alterius PAVPERIS damno locupletari

(a) Plin. L. IX. epistol. 5

p. 4. lin. 2. pro: *iam dum*, lege: *iam tum*
p. 4. not. a. pro: *Cic. L. II. de Nat. Deor. Op. T. I. p.* 28. lege: *Cic. L. I. de Nat. Deor. T. IIII. p.* 281
p. 11. lin. 22. pro: *hominem*, lege: *hominem homini*
p. 14. lin. 18. *et inter*, deleatur: *et*